DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

COLICA PICTONUM.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
COLICA PICTONUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID HAY,

SCOTUS,

CHIRURGUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Ord.

Hinc dira tormina, hinc genae pendulae,
tremulaeque manus. PLIN.

VIII. Kalendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD ALEX. SMELLIE.

1809.

PATRI SUO

THOMAE HAY, M. D.

COLLEGII REGII

CHIRURGORUM EDINENSIUM

SOCIO,

HASCE STUDIORUM

PRIMITIAS

CONSECRAT

FILIUS.

AVUNCULO SUO

SAMUELI GRAHAM,

IN EXERCITU BRITANNICO,

DUCI,

ARCIS STERLINENSIS

PRAEFECTO VICARIO,

HOCCE OPUSCULUM,

OB MULTA IN SE

COLLATA BENEFICIA,

ANIMI GRATI

TESTIMONIUM

OFFERT

DAVID HAY.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

COLICA PICTONUM.

PLUMBI venenum, non solum generi humano, aliisque animalibus, sed etiam vitae vegetabilium * infestum est. Morbus ab eo oriens, in diversis regionibus diversa nomina sibi conscivit; in India Occidentali, *dry belly ache*; in Germania, *huttenkatze*; *entrepado*, in Hispania; *morbus colicus*, in Damnonia; *bellain*, in Dorventania; *mill-reek*, in Dumfreia appellatus fuit; et quum in agro Pic-

* Percival's Essays, p. 458.

taviensi, circa annum 1639, epidemicè grassaretur, *colica pictonum* nominatus fuit; multis etiam nomen colicae saturninae placuit; nunc tamen, sub nomine colicae pictonum satis medicis innotescit.

Hunc morbum prioribus mundi aevis, haud ignotum, quamvis non frequentem fuisse, a scriptis auctorum antiquissimorum constat.—Constat etiam, prout luxuria et fraus mundi augebant, hocce venenum plures occasiones sese exercendi invenisse; ideoque morbum frequentiorem factum esse.

Paulus Ægineta et Avicenna *, primi auctores esse dicuntur qui speciem colicae depinxerê, epidemicè valentem, et in epilepsiam vel paralysin abeuntem; sententias quae sequuntur apud Avicennam invenimus.—" Et " est quum aegritudo fit, alterius aegritudinis " causa, sicut colica syncopis, aut paralysis, " aut epilepsiae †. Et colica quidem multo- " ties permutatur ad paralysin, et sanatur per

* Paul. Æginet, lib. iii. cap. 18. et 43.

† Avicenn. lib. i. p. 81.

"eam. Et quandoque similiter sanatur per "dolores juncturarum *."

Sed hi licet auctores primi sint, qui colicam epidemicam commemorant; tamen ante eorum tempus, effectus diri a plumbo orientes, auctoribus antiquioribus observati fuerunt, veluti NICANDRO, DIOSCORIDE, &c. et † HIPPOCRATE ipso, ut quibusdam placuit.

Morbo inter populos latius grassato, ab aliis causis praeter plumbum, oriri existimatum est; satis nunc autem compertum habemus, plumbo, et eo solo, colicam pictonum originem trahere, uti ab experimentis Doctoris ‡ BAKERI constat.

Haec colica sub nomine RACHIALGIAE ASTRUCIO definitur breviter, sed non, ut mihi videtur, satis accuratè:

---

* Avicenn. lib. iii. p. 824.

† Haller. Disput. Med. Pract. vol. iii. Ilsemann, de Colica Saturn.

‡ Medical Transactions, vol. i.

" Dolor abdominis, et spinae dorsi, in
" brachiorum paralysin, aut convulsiones de-
" sinens."

A CULLENO Nosologorum optimo, sic definitam habemus :

Colica Pictonum,—" Præeunte ponderis,
" aut molestiae, in abdomine, praecipuè circa
" umbilicum sensu, accedente dolore colico,
" primum levi, non continuo, et praecipuè
" post pastum aucto, tandem graviore et fere
" perpetuo, cum dolore brachiorum, et dorsi,
" in paralysin demum abeunte."

Haec definitio omnia symptomata maximè notatu digna, sine dubio, complectitur, et potius pro historia accurata, brevi quanquam, habenda est.

HISTORIA.

Colica Pictonum omnes cujusve temperamenti, aetatis, sexusve, causae ejus expositos afficere potest; sed eos tamen * praecipuè, habitu corporis irritabili, quorum intestina cholera, aliaeve canalis alimentarii affectiones debilitârint, quibus alvus adstricta contingere solet, et hanc ob causam secundum Huxhamum, Senes magis quam Juvenes huic morbo opportuni sunt; liquorum necnon vinosorum ingurgitatio nimia, huic morbo corpus magis obnoxium reddit.

Stollius † dicit, morbum minus violenter aestate, propter bilis abundantiam majorem, quam hyeme saevire.

---

* Dr Lionel Chalmers on the Diseases of South Carolina.—Hillary on the Diseases of Barbadoes.—Huxham de Morbo Colico Damnoniorum.

† Stoll. Rat. Medendi, tom. ii.

Heberdenius * hunc morbum in acutum, et chronicum dividit; mihi autem videtur, speciem acutam solummodò varietatem esse, a quantitate veneni magna orientem, et chronicam formam veram esse.

Nunc igitur de morbi cursu solito disseramus, et deinde pauca ad varietates spectantia proferamus.

Incipit, plerumque, ponderis et molestiae ad scrobiculum cordis sensu, anorexia, lingua sordida, et saepè muco subviridi obducta, facie squalida, halitu faetido, nausea cum alvo adstricta;—paulatim in dolorem obtusum abit molestia, qui praecipuè ad unam abdominis partem sentitur, ingestis quibuslibet augetur, et interdum, sed raró pressurâ; frequenter multum huic dolori levaminis affertur, partem affectam premendo, et † inflexo corporis situ.

---

* Heberden. Commentar.

† Pemberton on the Abdominal Viscera.

Brevi, dolor aegros angit, et vix tolerandus, ita ut aegri ne per punctum quiescere possint, sed jactitantes ad caelum gemitus attollunt, et aliquando corpora dilacerant.

Urgentibus hisce mali signis, insultus epileptici interdum superveniunt, et in casibus quibusdam, aegri absque sensu per multas horas remanent.

Nausea magnoperè augetur, molestusque accedit vomitus, ita ut nihil ventriculo possit retineri; materies vomitu ejecta, est bilis porracea, cum humore acrido mixta: haec interdum adeo acris est, ut gulam faucesque excoriet, ita Huxhamus*: "Imo colluvies rejecta vomitu, saepè adeo acris erat, ut gulam faucesque excoriando, foret inde sanguinolenta, ac dolorem inter deglutiendum excitaret." Haec aegris a parte affecta venire videtur, spemque levaminis affert, haecce spes autem non per longum durat, redeunte dolore, nec violentiâ pristinâ minore.

---

* Huxham de Morbi Colico Damnoniorum, pag. 5.

Dolor eodem loco ab initio morbi, ad finem usque, interdum remanet, saepè tamen regionem versus umbilicalem tendit; inde ad utrumque latus micat, magnaque cum violentia; illinc ad dorsum et lumbos irruet, et tum deorsum descendens, et tractum ureteris sequens, paroxysmum nephriticum simulabit; eodem tempore, "saepissimè vexat molesti "cujusdam ponderis in perineo sensus, veluti "incumbentis calculi*." Nonnunquam in scrotum, femora, et crura extendet, vel ascendens in pectus, et humeros, dolores rheumaticos referet; relictâ semper, tantâ cutis teneritate, ut tactus impatiens fit, et ne straguli pondus, vel levissima digiti impressio tolerari potest.

Equidem mirandum est, partes duas corporis extremas, simul raró affici; quando enim dolor in ventriculo situm habet, viscera inferiora *perraró* laborant, extremitates *nunquam*; dolentibus extremis, partes internae semper sunt dolore immunes. Exinde credit aeger,

* Huxham. de Morbo Colico Damnoniorum, pag. 6.

vel morbum tolli, vel in alterum converti; sed citò errore solvitur, elapsis enim duabus vel tribus horis, dolor ad situm pristinum revertitur.

Dolores rheumatismum referentes, hoc morbo, vespere et nocte insigniores sunt, et sub auroram mitiores*.

Quum ad umbilicum situs dolor est, musculi abdominis interdum violenter in nodos contrahuntur, et spinam versus retrahuntur; in aliis vero casibus magnoperè distenditur abdomen, adeo ut rupturam minitari videatur.

In hac colica, eundem tenorem per horas aliquot, vulgò servat dolor, interdum tamen exacerbationes, et remissiones, per horas aliquot, vel etiam per dies habet; Huxhamus† hoc modo loquitur; "Interdum cruciatus "per dies aliquot cessantes, aequè vehementer recrudescebant; praesertim ex levissime "frigore suscepto, vel cerevisia, vel vino po-

* Stoll. Rat. Medendi, tom. II.

† Huxham. de Morbo Colico Damnoniorum, pag. 8.

"morum hausto; icterus nonnunquam erumpens, colicen hanc pro tempore solvit, quo recedente mox redibant dolores; in uno et altero casu, verus permanens icterus hunc morbum absolvit prorsus, manente tantum quâdam artuum molestiâ."

Sphincteres vesicae et recti frequenter spasmo corripiuntur, stranguriam et tenesmum inducentes, et quibusdam in exemplis, aegri urinam reddere impotentes fiunt; et aliquandò anus intro retracta est, intestino recto quasi fune constricto, et clysterem aut non admittens, aut admissum, absque effectu explodens*.

Vomitus interdum materiei stercoraceae observatur, et rarò cesssat perstante dolore.

Paucis enematum gustus in ore percipitur, clarè ostendens intestinorum actionem inversam esse. Si tamen vomitus cesset, singultus vel eructationes amarae aegros invadunt.

---

* Stoll. Rat. Medend. Tom. II.

Per totum morbi cursum, alvus pertinaciter adstricta est, et dejectiones quando occurrunt, ex massulis induratis, ovium vel caprarum stercori similibus, constant; quae portiones solummodò sunt, cumuli magni in intestinis collecti, et praecipuè in colo.

Rebus ita se habentibus, symptomata saepè dysenteriam referunt *.

Aliquandò aegri sponte alvum plenè dejiciunt, dum aliis contra, alvus non solvi potest remediis vulgò efficacissimis per dies multos; et in paucis, nulla per menses dejectio contigisse dicitur: in Dris. Starkii † scriptis, casus enarratur, quo alvus non semel per menses *tres* dejecta fuit.

Initium morbi nullo horrore, rigore, et nullis pyrexiae signis comitatur; de pulsus statu haud inter medicos convenit: ita Dr. Stollius ‡ pulsum habere duritiem miram, haud ve-

---

* Medical Transactions, vol. ii.

† Stark's Works.

‡ Stoll. Rat. Medend. tom. ii.

naesectione removendam observavit; dum Dr. Clark* ex Insula St. Dominici, pulsum initio morbi, non frequentius naturali micare nos certiores facit, progressu tamen frequentiorem et debiliorem evadere; pulsum circiter centies micare a Pembertonio dicitur.

Urinæ status maximè varius est, ita ut nihil, vel saltem paululum, ab ejus conditione concludere liceat; interdum rubrae, interdum est tenuis decoloris, et aliquando sedimentum deponens.

Vires labefiunt, corpus marcescit, et praecipuè musculi pectorales, deltoides, et abductores pollicis; vultus dejectus et anxius apparet.

Nullo, quam in hoc morbo, tanta ad recidivam proclivitas est; et sequentes aggressus ferè semper violentiores sunt.

Postquam bis terve recurrerit morbus, vel quum primus impetus diu perseverârit, ae-

* Clark on the Yellow Fever of Dominica.

gri paralytici fiunt, in extremis praesertim superioribus, etiamsi inferiores interdum eodem modo afficiuntur. Paralysis adoritur, prout dolores in abdomine minuuntur, sed frequentèr molestiae sensus in ventriculo remanet, postquam paralysis accesserit, ita HEBERDENIUS*: "Ubi dolores atrociores finiti sunt, "et paralysis accessit, obscurus dolor in ven-"triculo remanet, cum vagis doloribus totius "corporis." Sudor profusus interdum hanc molestiam ventriculo removet, ita ut aegri paralysi solummodo afficiantur; HUXHAMUS† dicit: "Cum jam morbus occupaverat artus, "sudor multus foetidus acidum spirans, do-"lores lenivit, et si quis dolor ventris etiam-"num permanserit, eo diffluente evanuit."

In multis sed non in omnibus, postquam adoritur paralysis, ‡ tumor exiguus super manus dorsum, ad extremitatem ossis metacarpi medii digiti, ad carpum proximum situs, ori-

---

* Heberdenii Comment.

† Huxham de Morbo Colico Damnon. pag. 7.

‡ Stoll. Rat. Medend. tom. ii. et De Haen Rat. Medendi, tom. iii. cap. 8.

tur, fabam, aut dimidiam avellanam aequans, sine dolore, vel coloris mutatione, mobilis interdum, interdum non; quibusdam hic tumor gradatim disparet, in aliis remanet.

Paralysis ferè semper in pejus ruit; motu amisso, sensu retento et saepè multum aucto; in multis per reliquum vitae perstat, et accidisse fertur, quod, quam primum revenerit motus, colicae paroxysmum statim supervenisse, sine ulla levatione perstantem, donec iterum accederit paralysis *.

Quum morbus morte terminetur, apoplexiâ, vel insultu epileptico aegri succumbunt, vel gangraenâ intestinorum, quam accidisse monstrant, doloris subita remissio, pulsus intermittens et vix percipiendus, extrema frigida, cum facie collapsa.

Multi subito moriuntur, tametsi antea non violentèr affecti, et in casu hujusmodi a De Haen † memorato, vena cava rupta inventa est.

---

* Hillary on the Diseases of Barbadoes.

† De Haen Rat. Medendi, tom. iii. cap. 7.

Symptomata maximè variant, et ordine accessus, et violentiâ; initium interdum subitum, inopinatum et vehemens est, et haec mihi videtur eadem esse species, quam acutam nuncupavit HEBERDENIUS *; in hac specie, alvus maximè adstricta est, et symptomata omnia tam violenter urgent, ut mania interdum occurrat; contra verò progressus morbi saepè valdè tardus est, paulatim sanitatem conficiens, antequam symptomata ulla violentia appareant. Interdum dolores rheumatismum referentes, variis corporis partibus, aegros afflixerunt, antequam vel ventriculus vel intestina affecta fuerint.

Paralysis musculos carpi articulum moventes invadens, interdum morbi primum indicium est; et praecipuè hoc typographis, qui typos calori exponunt, accidit. In his qui cerussam praeparant, mania aliquando morbi adortum praecedit, et postremò a WARRENO † celeberrimo casus memoratur, in quo symptoma primum paroxysmus epilepticus fuit.

---

* Heberden. Comment.

† Medical Transactions, Vol. II.

Progrediente morbo, sudores interdum erumpunt, simul cum papulis rubris, per totum ferè corpus, quae ab HUXHAMO augurium haud raró faustum praebere existimantur, ut frequenter simul ac sese ostendissent, dolores et abdominis et extremorum statim sublevantur, vel omnino tolluntur.

In statu paralytico varietates saepè observantur, et quod ad partes quas afficit, et spatium per quod durat paralysis.

Saepè cum paralysi, ardoris sensus in plantis pedum percipitur; et in casu hujusmodi a FOTHERGELLIO* memorato, cum dolore intermittente comitatus fuit; idem etiam sensus diversis corporis partibus experitur†. Paralysis interdum aphoniâ, guttâ serenâ, et dysocaeâ commitatur.

Hic morbus frequenter phthisi pulmonali conjungitur, ut a cadaveribus sectis elucet; et a debilitate, stadia morbi provectiora co-

* Medical Observations and Inquiries, Vol. V.

† Stoll. Rat. Medendi, Tom. II.

mitante, hydrops interdum supervenire observatur.

Alia animalia (ut supra diximus) huic morbo obnoxia sunt, et ut benè a Doctore PERCIVALLO* memoratur, plumbi vapores vitam vegetabilium delent.

SECTIO CADAVERUM.

CORPORUM sectiones non multum adhuc lucis in hunc morbum injecerunt, et quidem in multis nihil morbidi detegi potest.

Viscera abdominalia praecipuè, quamvis interdum et thoracis, morbo laborâsse inveniuntur.

Viscerum omnium abdominalium, colon saepissimè afficitur: Caput coli mirè distensum, inflammatum, et gangraenosum est, arcus ejus frequenter in quibusdam locis valde con-

* Percival's Essays, Vol. I. pag. 458.

tractus, in aliis maximè distensus reperitur; multis et e situ solito magnoperè elevatus, ad costam quartam ascendens, descensum diaphragmatis impediens, viscera alia comprimens, et e loco submovens, a De HAEN videbatur; inflammatione gangraenosa affectus a LIEUTAUD *.

Rectum valde inflatum in una, et in parte altera constrictum cernitur, et in casu a De HAEN enarrato, quasi filo obligatum apparuit.

Omentum inflammatum et gangraenosum simul ac e loco submotum conspicitur.

Ventriculus aliquandò e situ dimovetur, inflammationem ostendit, et pylorus schirrosus invenitur.

Intestina tenuia distenduntur alternatim, et contrahuntur, et saepè inflammatione, et gangraenâ afficiuntur; mesenteria saepe eodem modo inflammata spectatur. Hepar lien et

---

* Lieutaud. Histor. Anat. Medic. lib. i. obs. 433. 450. De Haen, Rat. Medendi, Tom. III. cap. vii.

pancreas multum a colo compressa inveniuntur, et interdum obstructa. Vesicula fellis Bile atrâ distensa reperitur.

* Pulmones saepe multum affecti videntur, in aegris hujus morbi quibusdam, puris magnam quantitatem continentes, et saepè tuberculosi.

Cor multis flaccidum est, et mole minutum.

Effusio in cerebri ventriculos reperitur, et vasa piae matris sanguine turgida, in casibus ubi mors subita aegros sustulit.

Aliorum animalium corpora incisa eadem ferè monstrant †.

Musculi membrorum paralysi laborantium in membranas ferè abiisse observantur, et structurâ musculos coctos referunt ‡.

---

* Lieutaud, Histor. Anat. Medica, lib. i. observat. 425, 1772.

† Edin. Physical Essays, Vol. I.

‡ Medical Transactions, Vol. I.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ex jam dictis evidentissmè apparet, hoc in morbo, genus nervosum praecipuè affici, et quoniam de morbis nervosis multum adhuc in tenebris latet, non expectandum est, me rationem omnium symptomatum in lucem prolaturum, sed tamen quousque in me sit, symptomata explicabo, ferè in ordine.

Molestiae sensus, et ponderis ad scrobiculum cordis, referri potest ascensui nimis alto coli, alia viscera comprimentis, et diaphragmatis descensum impedientis, uti a sectionibus apparet*; vel irritationi ab hujus visceris statu morbido, adscribendus est; ab his etiam explicationem reddere possumus, doloris post pastum aucti, nam quicquid in ventriculum ingestum, compressionem augebit; vel a consensu colon inter et ventriculum, irritatio in colo augeatur oportet.

* De Haen, Rat. Medendi, Vol. III. cap. vii.

Nausea et anorexia, fibrarum ventriculi debilitati, et fortassè succo gastrico malè se habenti, tribuendae sunt; halitus foetidus, ab alvo adstricta, et statu ventriculi morbido pendet.

Cutis flavedo, vel icterus qui interdum occurrit, a bile absorpto oritur, transitu ejus in duodenum impedito, quod simul cum alvi constipatione, dolore vehemente, et dejectionum forma, ab actione intestinorum spastica originem ducit.

Statui generis nervosi exhausto, a dolore perseverante et violente, relegandae sunt convulsiones et sensus amissio.

Nisus ad vomitum violentes et vomitus tribui debent materiei acri diu in ventriculo retentae, ab actione intestinorum spastica, irritationem efficienti et actionem inversam.

Spasmus ab una, ad alteram intestinorum partem movet, et exindè rationem possumus praebere, doloris a cordis scrobiculo, ad umbilicum, et ilia situm mutantis.

Musculorum abdominis retractio, stranguria et tenesmus, ab actione spasmodica oriuntur.

Vires imminutae, et corporis marcedo, a cibi concoctione et assimulatione malè perfectis, originem trahunt.

Haud penes me, quomodo colica dolore extremitatum vel paralysi alternet, vel quarè musculi tempore quo vires motrices amittunt, sensum retineant, et etiam auctum adipiscantur, explicare; nec rationem reddere possum, tumorum ad capita ossium metacarpi apparentium; si hi molles mobilesque sint, ex effusione in vaginas tendinum extensorum; si duri immobilesque, ex ossium metacarpi capitum mole adaucta, originem trahunt.

De Haen * multa de paralysi ingeniosa in medium attulit, sed non mihi satis omnia explicare videntur: Illi apparet, duo esse genera nervorum, ad motum unum, ad sensum alterum destinari: nervum intercostalem magnum a gangliis pelvis, abdominis, thoracis, et cervi-

* De Haen Rat. Medendi, tom. 1. cap. xxiv.

cis oriri, et ad origines ejus, praecipuè affici, erosione, adstrictione, compressione, aut quovis alio modo; et exinde paralysin induci ad extremitates ejus; ramos mittere hunc nervum sursum, qui cum nervis axillaribus communicant, et 6to pari; et quia motum, sed non sensum communicant; partes hoc nervo suppeditatae, motum amittunt, sed non sensum.

CAUSAE REMOTAE.

Nihil ferè in medicina melius comprobatum habemus, quam plumbi venenum solam esse causam colicae pictonum; sed etiamsi pro certo hanc esse causam solam nunc cognovimus, ab experimentis Doct. Bakeri, qui anno 1768 tractatum edidit, cui titulus: "An Inquiry into the Causes of the Colic of Poitou in the county of Devon*;" aliae tamen hujus morbi ante hoc causae enumeratae fuerunt.

* Medical Transactions, vol. 1.

A Doct. MUSGRAVIO, vino pomorum acerbo, Huxhamo tartaro, aliis crisi febrium imperfectae, aliis venenis mineralibus, uti cupri, antimonii, hydrargyri, &c. vini abusui, podagrae, rheumatismo, perspirationi obstructae, animi pathematibus tribuebatur. In India Occidentali, aquae impurae, bili, et fructuum abusui acescentium ascribebatur; sed vix ad tales opiniones refutandas memet accingam necesse est, hoc quoniam satis perfecerunt, Doct. BAKERUS*, HARDEIUS †, et HUNTERUS ‡.

Causarum multae pro excitantibus acceptae, quasi praedisponentes agere possunt, et plumbi veneno affectu faciliorem, et huic morbo procliviorem reddentes; vel symptomata augere possunt, postquam venenum fuerit assumptum.

Hoc venenum in pulmones inhalari, cum cibo aut salivà deglutiri, corporis vel ulcerum

---

* Medical Transactions, vol. 1.

† Hardy on the Colic of Poitou.

‡ Hunter on the Diseases of the Army in Jamaica, and Medical Transactions.

lymphaticis in superficie hiantibus absorberi potest.

Opifices qui in fodinis plumbariis operari solent, metallum liquent, vel in laminas extendunt, maximè huic morbo obnoxii sunt; operarii etiam qui cerussam praeparant, vel qui in opificiis, ubi multum plumbi utitur, occupantur, frequenter affecti sunt, uti plumbarii, vitrearii, figuli, typographi, et pharmacopolae.

Plumbum saepè interne cum potu assumitur, et hoc modo multi morbo affliguntur; frequenter vino, liquore pomaceo, oleo, et aqua si aliquod acidi vegetabilis contineat, solutione tenetur.

Observatum diu fuit, ebrietatem vinorum, aut liquorum aliorum fortiorum, ex usu nimis libero productam, symptomata violentiora induxisse, quum plumbum continerent, quam cum pura essent; hoc a ZELLERO* observatum fuit, qui dicit, "Qui eo sese ingurgitâ-
" runt nimium, dolores capitis enormes passi
" sunt, deliria, furoremque quasi maniacum,

* Haller dissertation, Med. Pract. tom. iii.

"atrocioremque longè ac ab alio meri potu "nimio, et ad ebrietatem usque hausto fieri "solet, diutius multo durantem, pectoris et "praecordiorum gravitatem, dolorem, tussem "et febrem."

Vasa cuprea et figulina plumbo obducuntur, et si aliquod fluidi acescentis in iis relictum fuerit, facilè plumbum solvet, et multi hoc modo morbum adepti sunt.

Pictores * qui coloribus aquâ dilutis utuntur, incautè penicillum in ore introducendo, valetudinem nonnunquam amittunt ab hoc veneno, sine signis morbi ullis violentibus.

Thea † in hanc insulam invehitur cistis plumbo obductis, et ut haec substantia acidum contineat, si aliquis humor immittatur, in plumbum agere potest, et fortassè ab hac causa oriuntur tremores, cum animi languore, et aliis signis nervosis, qui theae usui nimio interdum superveniunt.

---

* Dr Fothergill on the Poison of Lead.

† Ibidem.

Acetis plumbi olim in medicina saepè usurpata fuit; in mania PARACELSUS hoc remedium administrare solebat; et multum dicitur in gonorrhoea, menorrhagia, &c. profuisse; et tincturam antiphthisicam maximè composuit.

Malum * hoc medicamentis quibusdam plumbo contaminatis inducitur, uti pulvere stanni; applicatio plumbi externa interdum huic morbo originem dedit, et multi hujusmodi casus a Doct. † BAKERO, ‡ PERCIVALLO, et § DARVINIO enarrantur.

Versimile est, multa cosmeticorum e plumbo magna ex parte componi, et hoc modo sanitatem adimere, et pulchritudini infesta esse.

Viam sibi aliquandò invenit plumbum in infantum corpora; in his enim lotionum hoc

---

* Hardy on the Colic of Poitou.

† Medical Transactions, vol. 3.

‡ Percival's Essays, vol. 1.

§ Darwin's Zoonomia.

metallum continentium vel corporibus suis, vel matrum papillis ab applicatione inducitur.*

Hujus veneni quantum ad morbum inducendum necessarium sit, valdè incertum est.

"Cerussae acetatae (ait Heberdenius) grana
" tria singulis diebus sumpta per quatuor dies,
" initium dederunt alvo adstrictissimae, fasti-
" dio, et torminibus. Colica pictonum tan-
" dem quidem sanata, sed quae diu molesta
" fuerat, orta est ex tincturae saturninae guttis
" triginta quotidiè sumptis per mensem;
" plumbi autem pondus in his guttis triginta
" vix crediderim excedere unum granum;
" quae tamen res aegrè potest certo definiri†."

DIAGNOSIS.

In hoc morbo, diagnosis maximè difficils est, quoniam non solum alias colicae species

---

* Audi Praelection, Prof. Hamilton.

† Heberden. Comment.

magnoperè refert, sed etiam cum enteritide et gastritide confundi potest.

A colicae specie communi, signis gradatim ingravescentibus, cum ponderis et molestiae sensu, ad cordis scrobiculum; dolore in parte una remanente, sed ab hoc praecipuè, quod colica pictonum raró pyrexiâ, aut inflammatione comitatur, dignosci queat. Saepè multum ad hunc morbum distinguendum aegri vivendi modus confert, nam si colica in his qui ullâ formâ plumbo utuntur, occurrat, ferè pro certo habeamus morbum ad hanc speciem pertinere.

Ab enteritide maximè dignosci potest, nullo dolore ex abdomine presso, et doloris levamine ex corpore inclinato experto, pyrexiâque absente.

Paralysis statu morbi provectiore, a paralysi apoplectica dignoscenda, quod nec stupore, sensuum amissione, aut ullo alio apoplexiae signo, sed ferè in casu omni colicâ praegreditur; ab hoc etiam quod in hac paralyseos specie, tactus sensus non minuitur, sed etiam multum augetur interdum, dum motus grada-

tim amittitur, et semper quanquam minore gradu perstat.

PROGNOSIS.

Haec pro violentia, et symptomatum duratione variet oportet, pro viribus, aegrique constitutione.

Fausta, quum symptomata mitiora sint, et non per tempus longum duraverint, si vires non labefactae sint, et valetudo non conquassata, quum alvus facilè solvatur, vel quum dejectiones spontaneae occurrant, prout dolores minus violenti sint, et causa non diu applicata.

Magis fausta, primis quam succedentibus morbi accessionibus, uti semper recidivae aut paralysi proclivitas magna est.

Infausta, quum constipatio diu perseverârit, et non removeri medicinâ possit, cum dolores aegrum saevitèr vexant, et vomitus urgens, continuus, vel stercoraceus sit, quum delirium,

insultus epileptici, cum pulsu intermittente occurrant, et quum aeger diu ad causam remotam expositus sit, vel saepè morbo affectus fuerit, et etiam si morbus in paralysin abierit.

Quod ad tumores ad metacarpi ossium capita, De HAEN * verba sequentia habet. "Attamen illa cunctis, quos colica haec affligit, "aboriantur, recidivamque, ni cum paroxysmo "dispareant, minentur. Cum sedem habeant "immobilem, mobilemve, prout vel, in cellosi-"tate, vel in vagina unius extensorum digito-"rum tendinis, vel in periosteo, ipsove ossis "in corpore locentur; certum est, mobilita-"tem praestare prae immobilitate, praestare "quoque si post paroxysmum sensim dispare-"ant, quam si perseverint. Dixi si *sensim* "dispareant, observatio enim a clarissimo "Massuet communicata, subitum tuberculo-"rum recessum funestissimum esse probavit."

Denique tamen augurium incertum esse debet, nam symptomata quamvis primò levia, valdè aucta sint, et remediis optimis obsistant,

---

* De Haen, Rat. Medend. Tom. 3. cap. viii.

et quoniam aegri quamvis leviter affecti videantur, morte interdum subitaneâ abripiuntur.

TRACTANDI MODUS.

Consilia medendi praecipua sunt;

1*mo*, Actionem intestinorum spasmodicam superare.

2*do*, Causam remotam tollere.

3*tio*, Vires fractas reficere.

Prima et secunda Indicatio magna ex parte, usu purgantium frequenti, et opiatis subinde administratis, efficiendae sunt.

Purgantibus mitissimis utendum est, et si alvum haud moveant fortioribus.

Sales medii in aqua multa soluti, huic usui satis commodè inserviunt; quum tamen Oleum Ricini sine vomitu sumi potest, nullum reme-

dium melius est; sed multorum cum ventriculis non convenit, et a nausea, et vomitu, quae tam frequenter occurrunt, aegrè potest retineri. Si cathartica hujusmodi non votis respondeant, acrioribus utendum est, sicut jalappâ, extract. cathartic, et similibus.

Quum cathartica liquida ore rejiciantur, alvi solutio ope compositi calomelanos, aloes, et opii, formulâ sequente, a * Doct. PEMBERTONIO datâ, effici potest: ℞ calomelanos gr. v. aloes socot. opii purificat. aa gr. 1. contunde simul, et ft. pilul. q. q. horâ sumenda.

Opiata ferè semper sunt commoda, et vulgò necessaria adhibitu, antequam ad purgantia confugimus, et uti opium spasmum removet, ita actionem purgantium promovet, et etiam interdum pro cathartico agit, una cum his exhiberi potest, sequente formulâ † Doct. PEMBERTONII: ℞ Ol. Ricin. ℥ſs. vitell. ovi q.s. tinct. opii gtt. xxv. aq. Menth. Pip. ℥iſs. *m.* ft. Haust. 6tâ q. q. horâ sumend.

* Pemberton on the Abdominal Viscera.

† Ibidem.

Variae inter medicos opiniones de opii usu extiterunt, aliqui nos certiores facientes opiata per se morbum curare, aliique iterum affirmantes opiata vulgò esse perniciosa. Hoc modo * Baglivius " Nihil facilius colicae supervenit, " quam paralysis ; cave igitur ne opiata copio- " sius in ea exhibeas, solet enim post opiata, " magnus sudor supervenire, et exinde Paraly- " sis." † Dr J. Hunterus etiam opiata nil prodesse in omni ferè casu putat, et dicit. " As " the relief from opiates is but inconsiderable, " till the body be opened, the only circum- " stances under which I found them useful " were, where the stomach was irritable, to " prevent the purgatives being thrown up."

Talibus opinionibus contrario, ‡ Dr. Stollius haec verba memorabilia facit,

" Abhorrui ab usu opii, at nil profeci."

---

* Bagliv. Opera, caput de Colica.

† Dr Hunter on the Diseases of the Army in Jamaica.

‡ Stoll. Ration. Medendi, tom. II.

* Dr WARRENUS etiam et multi alii auctores usum opii commendant †.

Inter has tam diversas opiniones concludere liceat; opiata per se parum commodi habere, tamen cum purgantibus administrata, effectus optimos edere.

Postquam alvus satis catharticis soluta est, saepè opiatum repetere necesse est, spasmos quiescere, et somnum inducere.

Eodem tempore, quo cathartica ore adhibentur, pars intestinorum inferior enematibus evacuetur oportet, quoniam haec non solummodò causam irritationis removent, sed prout fomentationes internae agentia, actionem intestinorum spasmodicam, et etiam musculorum abdominis relaxare, et dolores levare tendant.

Emeticum interdum propinare, quum ventriculus saburrâ gravetur, ante purgantium usum debemus; sed raro repetendum est,

* Medical Transactions, 2d vol.

† Aud. Praelect, Prof. Gregor.

quoniam debilitatem efficiat; mitissima solummodò utenda sunt, et nil melius fortassè respondebit, quam infusum anthemidis nobilis.

Emetica multum ab HUXHAMO, DU BOIS, &c. laudantur, plurimoque cum commodo administrata fuisse dicuntur, dum alii scriptores perniciosa esse credunt, rarò tamen emeticum dare necessarium est, quoniam morbus ipse nimiam ad vomitum proclivitatem inducit.

Postquam alvus satis dejecta fuerit, laxa teneri debet, et in hanc finem, hepar sulphuris à Dre. FOTHERGELLIO* commendatur, ad venenum decomponendum; sed quoniam hoc remedium in multis nauseam excitet, sulphur sublimatum utendum est.

Si dolores minore gradu revertantur, extractum hyosciami vice opii adhibeatur.

A Doct. PERCIVALLO † sulphas aluminae multum laudatur, uti primò a Doct. GRASHIUS in hoc morbo propositus: In dosibus

* Fothergill on the Effects of the Poison of Lead.
† Percival's Essays, vol. i. pag. 402.

granorum 10 ad ℈i exhiberi solet, cum aequali sacchari quantitate; si nimis acris existimetur, cum spermate cete vel gummi mimosa nilotica conjungi debet.

Grana sulphatis 15 omni 4tâ 5tâ vel 6tâ horâ administrata, plerumque alvum lenitèr solvunt, et quum symptomata haud violenta sunt, dosis 2da vel 3tia vulgò dolorem mitigat, vel omnino removet; hoc remedium satis diu administratum flatum levare, spasmum laxare, et organa digestionis reficere videtur.

Doctores JACOBUS* et JOANNES CLARK † hunc morbum Sub muriat. hydr. curatum esse asserunt, superveniente ptyalismo; et a priore nec non dicitur, morbum etiam hydrargyri ab applicatione externa submoveri, sed a salivatione molesta quae facillimè inducitur, in mentem ejus venisse, calomelas largâ manu administrare, spe glandulas salivales illo non fore affectas, alvum citò movendo: vulgo gr. 15

---

* Clark on the Yellow Fever of Dominica.

† Clark's Observations on the Diseases of long Voyages to Hot Climates.

pro dosi praecipere solebat, sed Ꝫi cum morbus diu perseverârit, et interdum ʒſs spatio quatuor vel quinque horarum.

Venaesectio rarò necessaria est; tamen *Dr. Jacobus Clark de Dominica propter fatalem unius casus eventum, a gangraena intestinorum, eâ uti inductus fuit in aegris quibusdam, initio morbi, sed perpaucis solummodò; Huxhamus † de venaesectione agens, dicit, "Quibus enim sanguis largâ manu detractus "fuit, omnes ferè paralytico affectu correpti, "vim prorsus motumque manuum perdide-"runt, nec usum eorum, nisi post longum "tempus recuperaverunt tandem."

Quum dolor ventris violentèr saeviat, vesicatoria applicentur; haec saepè subitam levationem afferunt, et quam primum munere perfunguntur, frequentèr observatum est, purgantia priusquam inefficacia effectus edere, vomitumque violentem compesci.

---

* Clark on the Yellow Fever of Dominica.

† Huxham de Morbo Colico Damnoniorum, pag. 25.

Balneum calidum et fomenta in eandem finem adhibeantur; sed effectus eorum citò evanescunt: frigidarium multum levaminis attulisse expertum est, quando balneum calidum nihil profecerat, et Citesius nos certiores facit, hanc suam praxin fuisse, etiam in media hyeme. Satis nunc compertum habemus, aquae frigidae extremis inferioribus applicationem alvum solvisse, quum alia remedia parum valuerant.

Ad Indicationem Tertiam perfungendam, ventriculi debilitas amaris, et chalybeatis removenda est, saepè aquae Bathonienses multum profuerunt, et ad alvum laxam tenendam, et sudorem promovendum.

Diaeta tenuis esse debet, nutriens, et concoctu facilis: multum commodi obtineri potest, ab usu diaetae lacteae, simul cum aquis Bathoniensibus; vires aegrorum fractae reficiendae sunt, vini aliorumque cardiacorum ope.

Applicatâ causâ remotâ morbus facilè reducitur; et observatum est, vix penes medicum esse opifices plumbarios curare, dum ves-

timenta quibus laborare solebant, gerere perstant.

Simul ac accesserit paralysis morbus haud removeri potest, ni magna cum difficultate et post longum tempus.

Satis docuit experientia unumquodque ventriculi et intestinorum vires reficiens, non solum recidivam praecavere, sed etiam ad paralysin removendam tendere. Itaque et internus et externus aquae Bathoniensis usus, diu in paralyseos curatione maximam famam assequutus est; et aliae aquae minerales non huic secundae inveniuntur: Ubi ad Bathoniam non convenit iter, multum boni a balneo calido obtineri potest, sed ad hos effectus producendos et iter ad Bathoniam et mutatus vivendi modus haud parum conferunt. HEBERDENIUS* ait, "Quin alium usum capient aegroti, ex itinere ad Bathoniam, cum " non tantum modo locum, sed potionem " quoque mutent, et cibus aliis vasis coquatur, et condimenta alia aponantur, itaque

* Heberden. Comment.

"sperandum est, omnes plumbi aditus fore
"interclusos, contra quos utpote ignotos, ae-
"gri non poterant defendi, dum domi ma-
"nerent."

Ad paralysin removendam guaiacum, antimonii praeparata, et terebinthinata, ab HUXHAMO * multum commendantur, sed Sub mu riat. hyd. caeteris omnibus praeferebat. De HAEN † electricitatem collaudat, Dr FOTHERGELLIUS ‡ tincturam guaiaci volatilem; Dr WITHERINGIUS § oxygenium paralysin removere expertus est. Varia alia stimulantia in hanc finem auctoribus commendata sunt.

Frictio multum prodest, una cum equitatione: PEMBERTONIUS || dicit, sese ab usu splenii, cubito inferiori applicati, saepè mul-

* Huxham. de Morbo Colico, pag. 35.

† De Haen, Rat. Medendi, Tom. I. cap. xxiv. et Tom. III. cap. viii.

‡ Medical Inquiries, Vol. V.

§ Annals of Medicine for 1796.

|| Pemberton on the Abdominal Viscera.

tum commodi expertum esse, et a tali applicatione musculi extensores multò citius vim recuperant.

PROPHYLAXIS.

Ad hunc morbum praecavendum, praecipuè diaetae et regimini confidendum est; diaeta ex oleosis et carne pinguedinosa confecta, multum ad hanc finem confert, et etiam interdum morbum removet, aliis frustra administratis; hunc effectum producere videtur intestina ab acri veneno defendendo, et alvum laxam tenendo. Hujus diaetae utilitas a De Haen* observata fuit, qui dicit, "Estque olei, butyri, pinguisque juris, cum multo pane usus, optima prophylaxis, opificibus illis, qui metallis praeparandis, miscendis, adplicandis, victum quaeritent."

Operarii plumbarii ante pastum ad operam egrediantur nunquam; alvum teneant re-

* De Haen, Rat. Medendi, Tom. I. cap. ix.

gularem ; et laxantia quam primum plumbi effectus sese manifestârint, assumant, cibum nunquam in opificio capiant, et antequam edere inceperint, laventur manus.

Liquores spirituosi secundum WILSONIUM * multum mali afferunt, ventriculum, intestinaque debilitando, ideoque evitandi sunt. Balneo calido utendum est, posteaque medicis quibusdam placuit, corpus oleo inungi, ut plumbi absorptio prohibeatur †.

Opifices ad laborem vestimenta induant, et exuant, opificium inituri exiturique.

Saliva in opificio nunquam deglutienda est. Liber aëris per opificium transitus servandus est, et a Doct. FOTHERGELLIO ‡ propositum, opifices facie lanâ duplice obvolutâ, benè solutione alkalinâ madefactâ, respirare.

---

* Edinburgh Physical and Literary Essays, Vol. I.

† Fothergill on the Poison of Lead.

‡ Ibidem.

Quoniam hic morbus ad recidivam adeo proclivis est, causa remota maxima cum cautela evitetur oportet.

FINIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

Apud ALEX. SMELLIE.